

Thomas Lindemann

**Programma Quo Ad Militiam Et Passionem Salvificam Induperatoris Nostri
Coelestis Jesu Christi Sancte & sobrie recolendam, celebrandam, sibique
applicandam, Cives Academici, imprimisq[ue] iuvenes studiosi admonentur,
Propositum, Sub initium feriarum Esurialium Dominica Esto Mihi Rectore Thoma
Lindemanno Iuris Doctore & Professore**

Rostochi[i]: Pedanus, 1620

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734586868>

Druck Freier  Zugang



Th. Lindemann.

R. U. 3 Progr. 1620.

PROGRAMMA

QUO

AD MILITIAM ET PASSIONEM
SALVIFICAM INDUPERATORIS
NOSTRI COELESTIS

JESU CHRISTI

Sanctè & sobriè recolendam,
celebrandam, sibi que
applicandam,

*Cives Academici, imprimisq; juvenes studiosi
admonentur,*

PROPOSITUM,

Sub initium feriarum Esurialium

DOMINICA

ESTO MIHI

RECTORE


THOMAS LINDEMANNO


Juris Doctore & Professore.



ROSTOCHI

Typis Joachimi Pedani, Anno 1620.





Aulus Tharsensis, Paulus
Paraviensis, Paulus Castrensis, ge-
nere, patria, religione licet dispa-
res, in hoc tamen concordēs fue-
runt, quod humanam vitam per-
petuæ militiæ compararunt. Vi-
derunt enim viri isti sublimes, par-
tim Sancti spiritus afflatu, partim
rerum variarum usu edocti, in hac mundi machina, à pri-
ma ejusdem post creationem depravatione, contrarias
diras & truculentas militantium phalanges, & cohortes,
eminus & cominus, arte & Marte, clam & apertè hostili-
ter pugnantes, in aciem educi, & subindè confligere. U-
triusq; hujus exercitus Supremus Diribitor & Rector
J E H O V A, militibus terrestribus optionem castra eligendi,
& sequendi liberam quidem, non decreti absoluti fatali
nexu irretitam, vel catena indissolubili illigatam, nec ra-
men vagam, sed certis limitibus circumscriptam, salutari-
bus adminiculis subnixam & adjutam concessit, & in-
dulsit, simul etiam cujus Ducis signa sequi nos velit, qui-
busve armis nos instructos esse oporteat verbo suo præ-
cepit, & palàm declaravit. Militiam hancce utramq; seu
lactam carnis & spiritus perpetuam, cum quævis hora,
tum verò memoria passionis Salvatoris nostri hodie coli-
ceptæ, refricat & ob oculos quasi ponit. Hodie namq;
Dux & redemptor noster non Monarchiam aliquam,
aut Gazas mundanas ambiendi desiderio, sed humanum
genus peccati carceribus compactum, durissima servitute
liberandi amore impulsus, Hierosolymam ascendens
classi-



classicum canit, locum instructioni indicit, per Fœciales suos bellam & conflictum denunciat, militem non quidem numerosum & potentem, sed fortem, cordatum, animosum, non luxuriantem & remulentum, sed Gideonis exemplo aquas lambentem, sobrium, vigilantem, conscribit. Potissima vero militiae & exercitus vis ac robur in ipsius Ducis virtute & fortitudine consistit. Agesilaus boni imperatoris officium esse dicebat, adversus hostem, audacem & animosum, erga milites & subditos clementem, & beneficum, & in acie dirigenda prudentem, in adversis patientem esse. Tales se præstiterunt Epaminondas, Themistocles alijsq; Heroes: post alios verò Hadrianus exemplum boni Ducis post se memorandum reliquit. Is enim impavidè & prudenter omnia egit, militibus bono exemplo præiit, primus in acie constituit, duriter vixit, militans sæpe pedes iter fecit, vehicula non conscendit, nullo vel calore vel frigore pugnans aperto ut capite esset adduci potuit, deniq; quam diu exercitui ipse præfuit, ita milites exercuit, ut quæ ab ipso constituta & facta sunt, usq; ad hæc tempora disciplinae militaris vim habeant. Nihil verò de optimo Duce scribi, dici, cogitari ve potest, quod Dux noster non adimpleverit. Nec enim in succenturijs, uti Reges & Imperatores assolent, delitavit, non majestatis suæ indutus purpura hosti terrorem incussit, sed sago militari amictus, hostem intrepide provocavit: hoste, inquam, non Nimrodum, Cyrum, Xerxem, aut Alexandrum, non arctici & antarctici tantum poli, soli & salis, sed & abyssi infernalis principem, non hominem, sed Angelum Luciferum, imò & Leonem Draconem, Leviathan & Behemoth omniumque Monarcharum Domitorem & Dominatorem, serpentis astutia instructum, strategematum bellicorum, artis & pyro-

robolicæ & Canonicae peritissimum; mendacem artificiosissimum, multis legionum myriadibus stipatum, inter quas primipilarem cohortem Bacchus ducit; qui artem, quâ primi mundi incolas cataclysmo submersit, Noachum & Lothum devicit, etiamnum probe caller, & strenuè exercet. Polyenus Bacchum belli ducem astutissimum, fuisse memorat, cumq; cum Indos subjugare intenderet, eosdem non aperto Marte adortum esse, sed clam in civitates irrepsisse, pellibus ovinis & cervinis milites indutos secum duxisse, eorum hastas hederis cinxisse, tympanis & cymbalis classicum sonuisse, hostes interim ad saltationes impulsisse, mero replevisse, dementasse, orgya in stratagemata commutasse, satyros hiltiones emisisse, & hujusmodi artibus & fraudibus incautos Indos obruisse, domuisse & perpetuæ servituti mancipasse. Tentavit idem Goliathus infernalis eisdem strategematibus Ducem hodie in aciem procedentem circumventum prosternere, indigentia, ambitionis, præsumptionis spiculis confodere, loris, virgis, spinis, arundinibus, cruce deniq; ipsa frangere, & ad defectionem impellere. Sed is fortiter phalangis satanicæ impetus sustinuit, patientiæ, spei, fideiq; lorice, & clypeis armatus, ignea tela excepit, rerudit, & licet consputus, flagellatus, spretus, deniq; cruci affixus fuerit, victor tamen, & triumphator evasit. Conflictu hocce Stygiæ catervæ potentia fracta, nobis vero libertas salusq; æterna parva est. Quamvis autem devictus hostis, noster prostratusq; jaceat, tamen vires subindè recolligere tentat, insidias Christiano militi truit, cumq; extra castra pabulantem, vel secure palantem, aut dormientem invadit. Ad incursionem hujusmodi præcavendas, nulla ratio expedior est, quam ut Ducis nostri victoriosi & gloriosi viram actam,

actam, pugnam peractam, fide patientia, & constantia, victoriam ac palmam obtentam, in memoriam cotidie nobis revocemus, eam velut vitæ normam sequamur, pieq; nobis applicemus. Unde primitiva Ecclesia quadragesimam quam ingredimur, pijs precibus, peccatorum confessionibus, poenitentiae & contritioni sacravit. Hiscè namq; veluti aggeribus, fossatis, imò arietibus fortissimis, Leonis rugientis rictus evitamus, hiscè armis adversus ignivomi Draconis ictus securi consistimus: Arma vero hæc tum demum rectè vibramus, quando vulnerum Christi, ut Augustinus loquitur, recordamur. Sicut enim Elephantibus (uti est in libris Machab. 1. c. 6.) sanguis unæ mori ostendebatur, quo sanguineo colore inspecto, ad prælium acrius incitarentur; ita sanguis Christi oculis nostris exhibitus, ad spiritualia cum antiquo serpente certamina achere & animare nos debet, ne iterum incauti opprimamur, & durissimæ peccatorum captivitati, qua Dux noster cruoris sui exsoluto lytro nos liberavit, subijciamur. Id tum demum obtinebimus, si ex præscripto & exemplo Salvatoris nostri militemus, jejunemus, oremus, obduremus, speremus, credamus. Jejunium indicit nobis Imperator exercitus Christiani, non quidem quadragesimale Papisticum, meritorium, superstitiosum, sed pium, sanctum, sobrium, universale, & perpetuum. Id vero hocce anni tempore in primitiva Ecclesia & Patrum seculo solemniter publicatum & sanctè observatum fuisse historia Ecclesiastica testatur: Idq; in usum, abusu superstitioso abolito, reduci utile non minus ac pium esse, non Politici tantum, sed & magni nominis Theologi profitentur. Epaminondas milites remulentos, aqualiculos, exautoravit. Persæ bellum ingressari pane & aqua corpus refecerunt, ingluviem omnem detestati

staut sunt. Iustus Arrius Menander milites ebrietate lascivientes, militari cingulo privari debere scribit. Divus Paulus ebriosos stipendijs & præmijs militaribus coelestibus penitus indignos pronunciat. Insuper milites armis non rubigine, litu, aut squallore obductis, sed acutis, terfis, instructos esse oportere Vopiscus rectè tradit. Ea vero negligentes, amittentes, vel alienantes, teste Modestino & Paulo, capitali supplicio subdebantur. unde Julius Cæsar laudatur, quod milites argenteis, aureisq; armis velut radiantes, & fulgentes habuerit. Porro & hocce militum est officium, stipendijs suis contenti ut sint; à rapinis abstineant, commitiones non defraudent, deglubant, ab hospitibus ne quidem (quod Constantini constitutio in l. un. C. de Salgam. hospitib. non præbend. lib. 12. prohibet) Salgatum petant, multò minus eorum loculos expilent, sed in statione sua perseverent, fossata non transcendant, excubationem non negligant, seditiosas vociferationes non concitent, tesseram militarem observent, nec sub militari sago, aut hypocritica chlamyde exploratores agant: contra qui fecerint à castris penitus repellantur, nec unquam recipiebantur. Hæc omnia quæ Ulpianus, Paulus, Modestinus & Macer alijs; Cui de disciplina militari Romanorum scribunt togatæ nostræ militiæ rectè applicantur. In exercitu verò Imperatoris nostri, ij quibus regiminis curâ commissa est Capitaneorum Tribunorumq; officium sustinent, quibus Icto Macro monente, incumbit, cohortes & excubias circumire, arma dispicere, in vitam moresq; militum inquirere. Cum itaque nobis hoc tempore illustrandi Academicæ militiæ partes commissæ sint, summo studio adnitendum & præcavendum est, ut castrorum

strorum septa ab exploratorum, transfugarum fraudibus
hostilibusq; invasionibus, secura conferentur, eoq; no-
mine lustrationes sæpius instituuntur: quas dum nos
officij ratione meditatur, undequaq; metata Academi-
ca circumspicimus, animadvertimus, hæcenus irrephisse,
& jam erectis vexillis grassari cepisse complures Saranæ
emissarios, qui non jejunijs & precibus ad Christianam
militiam se parant, sed delicijs & asotia diffuentes, Bacho-
litant, non leges militares ab Imperatore Christo ejusve
capitaneis magistratibus latas attendunt, sed ipsi Utopi-
cam seu potius Cyclopæam Jurisdictionem sibi fingunt,
strenuos quosdam calones & lixas plumiferos, narcissos,
cincinnatos, Scortas validos, & similes exploratores
perfidios sibi associant, coadunatoq; hoc pestifero mani-
pulo, innocentes tyrones, quos pennales isti vocitant,
Harpyiarum instar invadunt, eos non salgamo mulctant,
sed omni pecunia emungunt, & ad mortem ac sangui-
nem usq; excruciant & exagitant, deniq; non secus ac si
ad Cyclopium castra & *κρημάτων ἀγοράν* ablegati essent,
rumultuantur: hisce auditoria adire piaculum, Bacchi
orgya celebrare, in popinis & fornicibus lustrari pul-
chrum, per plateas Luperorum rabiosorum more discut-
tere, saxa ferire, fora rudibus & boatibus adimplere,
decorum & jucundum est. Hujusmodi adversarij nostri
excrementa, militiae Academicæ carcinomata, Dux
exercitus nostri jam dudum proscripsit, exautoravit &
executionem magistratibus veluti Tribunis & capitaneis
mandavit. Hosce itaq; ex castris nostris extermina-
mus, ejicimus, & transfugas, desertores pronunciamus:
Eos veluti fucos ab alveatibus arceamus, & ne ex militum
generosiorum numero se quisquam ab hisce seduci Bac-
chicisve stratagematibus decipi, & in diaboli castra ab-
ripi

ripi patiatur, sed potius Dominum Imperatorem nostrum
hodierno die luctam cum Dracone infernali subeuntem,
sectetur, severe monemus. Quis enim miles Domino
suo patiente lætet? quis non Uriæ exemplo Joabo in
agris militante, delicias domesticas fastidiendo, ad Ducis
castra properet? Malus namq; , Seneca teste, miles est
qui gemens ducem suam sequitur. Cum itaq; passio
Salvatoris nostri, vera nostra sit institutio, Christi crux
nostra sit lux, Christi lucta totius (ut Imp. Valentinianus,
Theodosius & Arcadius in l. omnes, C. de feriis lo-
quuntur) Christianitatis magistra sit, ejusq; sacra memo-
ria in Ecclesia hocce tempore celebretur, rogo moneo
& obtestor genuinos in castris Academicis merentes
Christi milites, quadragesimale Festum, jejunijs, preci-
bus, pijsq; meditationibus transigant, heluonum lym-
phatorum, maleferiatorum Lupercorumq; consortia,
sedulo & studiosè devitent, vitam ad præscriptum Ducis
sui conforment. Quod facientes cum eodem triumphabunt,
negligentes cum Dracone devicto æternum non
tantum ejulabunt, sed & vindictam ac Nemesin magi-
stratus ordinarij severam experientur. F. P. Rostochij.
Anno M. DC. XX.



quoq; politia Academica à prima ejusde
 quidem ad prescriptum decalogi est
 est, easq; non tantum quotannis bis solen
 mulgat, sed & studiosis omnibus initiat.
 risjurandi prestiti religione, earum obse
 secus ac Lycurgus Spartanis Rhetrarum
 verò hoc tempore fasces Academici, ear
 mea cura commissæ sint, id imprimis mihi
 ne quod Anaxandridem Atheniensibus
 stoteles refert, eos bonas leges ferre, sed
 mia nostra jure exprobari queat: quam
 vitem, & cives Academicos intra officii
 ijsq; omnem pretextum ignorantia lega
 Cras hora 9. Leges, à majoribus nostris
 ptas, publicitus edicere. Ad cujus acti
 dios non tantum, sed & Professores, Do
 divini Ministri, omnesq; adeo Reip. Aca
 res confluant, & honorem ac observant
 ejusdemq; statutis & legibus debitam,
 & pollicentur, & ad quam jurisjurandi
 re & facto contestentur, officiose rogo, pat
 Significare quoq; hoc publico
 sum, deprehendisse Reverendum Concili
 nervalibus sacris initiatos, subito ad Ma
 gere, salutis propria prodigos, aliena ho
 se provocare & cyclopica prorsus ferocia
 si ad Academiam hancce sanguinem hu
 nali hostitum vel mactatum ablegati ess
 res nostri mederi summa ope annitentes
 bus verbis conceptam tulerunt & quota
 Poenam relegationis denunciamus po
 déris grassatoribus, qui ex provoc

certis &
 ibus usa
 more pro
 scriptis ju
 culo, non
 ulcat. Cū
 s LEGES
 um video,
 cisse Ari
 i, Acade
 em ut de
 tineam,
 constitur
 io conscri
 m, ut stu
 lri, verbi
 frequen
 Academia
 rofidentur
 ingitur,
 obtestor.
 e jussus
 vix Mi
 transfu
 ad duella
 fligere, ac
 oni infer
 alo majo
 sequenti
 ulgarunt.
 gy begov
 ata intra
 vel

